P. M.

MATRONÆ PROSAPIA ET VIRTUTIBUS CONSPICUÆ

ELISABETHÆ AUSTENIÆ

SACRABAT

M. Marqvard.

Siste gradum Viator,
Et lacrymis publicis tuas misce.
Jacet sub hoc marmore
ELISABETHA AUSTENIA,
Clarissimâ PRUSSORUM prosapiâ oriunda,
Omnes nomine suo complexa titulos
Aspernari eos voluit.
Per matrem antiquæ SCHMIDIORUM
innexa genti
Non solis ejus præminere voluit imaginibus,
Ipsa quondam imago Virtutis futura.
Ultima ferè gentis Suæ hæres,
Prima gloriæ,
Virtutibus nulli secunda,
Nobile genus in posteris sexu servare impar
Fluxo sanguine immortale fecit:
Nomen verò à majoribus acceptum
Intemeratum avito hoc intulit tumulo.
Ipsa sibi superstes
Vivit in animis omnium.
Hæc Summa per omnem vitam votorum,
Hæc generosa ambitio,
Quâ seipsam antecellere enisa.

Virtu-

Virtutis & thalami consortem habuit individuum
Virum Generos. Magnif. Ampliss.
JOHANNEM AUSTEN,
S. R. M. P. Burggrabium & Reip. Thor. Præ-Cons.
Atq; intaminatis ejus gavisa fulgere radiis.
Digna Sole Luna,
Unam per intercapedinem XL annorum
feralem invidæ mortis passa Eclipsin.
Sed benè est quòd in Septem Liberis
Præstinctum reviviscit jubar,
Jacturamqve facit tolerabiliorem.
Matronali prudentiâ egressa sexum Suum
Conjux desideratissima,
Indulgentissima mater,
Æqualiter inter Maritum & prolem
diviso affectu,
Omnes amavit, ab omnibus amata,
Mutuum à Marito amorem,
à Liberis morem meruit.
Sed parùm erat inter penates Matrem esse,
Matrem se Patriæ gessit.
Multos beneficiis, complures gratiâ,
Neminem non comitate prosecuta:
Vbiq; ultra fœminam conspicua.
Non te morabor diutiùs, Viator,
Hoc tantùm habe.

Ali-

Aliquot retrò annis oculis orbata
Mundum citiùs reliquit quàm vitam.
Scilicet exosa vanitatem mundanam
Nec oculis amplius ferre eam gestiebat;
Sed viva, emortuales meditata tenebras
Inoffenso ad mundi offendicula pede
Tandem tumulum invenit,
Anno ætat. LVIII. finiente.
Obiit A. Æræ Christianæ
M DC XCII.
Die IV. Martii.
Abi Viator,
Et disce ab hac Matrona mori ante fata,
ne post fata moriaris.

INgressus vitæ nihil est nisi mortis imago,
Quisq; gerit proprio tristia busta sinu.
Felix qui moritur cursu feliciter acto,
Et veræ vitæ gaudia salvus habet.
Es igitur felix, placida quæ morte soluta es,
Gaudia nunc certus non peritura poli.
Sic Matrona jaces, sic fatis victa recumbis,
Quam Pietas, Virtus, Fama, Genusq; *vehent.*
Sed non tota jaces, melior pars vivit & alta;
Mente DEUM *laudas concelebrasq; tuum.*

S. R.